

ΚΕΦΑΛΙΔΙΟΝ ΙΙΙ.

*E quibus potissimum Fontibus Philosophia sit haurienda?*

Haurienda est ex divino *PLATONE* & magno Stagira Alumno, *ARISTOTELE*. Eadem quippe ratio heic est, quæ emendi & diversandi in publico. *Optimorum* namque, ut habet Proverbium, *hospitum optima sunt diversoria, & institorum ac mercatorum optimorum optima sunt merces & pretium æquissimum. Propole sua, eaq̄ deteriora, plerumque etiam carius vendunt.* Magis tamen *ARISTOTELES* in vera philosophandi ratione haurienda est consulendus, quàm *PLATO*. Ille enim primò *μεθοδικώτερος* est: quum totam Philosophiam, ante ipsius tempora variè dispersam, in unum corpus coëgerit, singulasq; partes Corporis hujus longè meliori perfecit ordine; sufficientibus item ac idoneis rationibus probaverit ac confirmaverit omnia. Sicut igitur magnam gratiam apud *Justos* merentur illi, qui Volumina *Jurium* infinita contraxerunt in unum *Civile Corpus*, inutilibus ac superfluis præ-

ter-